revocatus ad Scholae gubernationem non ausus sum deserere longe inferiorem stationem. Debeo
multum Bremensi civitati, sed plus patriae debeo, cui me hoc tricennium vita superstite
spero (quamvis aegre) boni tamen aliquid ministerij vel ex vicinia praestiturum. Vari-
ait Nuntius mirabilem rerum vicissitudinem in illa civitate et Ecclesia, nam quorundam concio-
natorum instinctu Magistratus exarsit ad Albertum pellendum, In subito mutata rerum fa-
cie, partim coacti, partim sua voluntate una cum tribus Consulibus et magno numero Se-
natorum urbe cesserunt. Hos et Rector Scholae subsecutus est deserta pulcherrima con-
ditione, quam ego sane oblatam libens accepissem, nisi me religio quaedam et spes ali-
cuius tandem successus retinuisset. Sed haec sunt [illegible]. Nunc plura non possum
per occupationes, nuper hic fuerunt Conc. Principis Gerardus Veltius et Nicolaus
Rollius, visi sunt bona spe esse, ante paucos dies extinctus est quidam Cancellarius
Flattenus doctrinae adversarius, per quem solet Princeps agi et ferri. Vesaliis res
sunt pergratis pacatae nisi si quid [illegible] quidam queruntur de ijs quae movenda fortas-
se non erant. Conciones illic sunt meliores, nos labefactat ignavia magis quam adver-
sariae voluntates, non cessamus clamare ad Dominum: tandem aliquid boni fiet. Va-
le 19 Junij. An. 1562. Salutem dic Uxori et liberis. Quam coniugem tuis-
sima scio anhelare ad coetus puriores, tamen si non contingat, etiam nostris humili-
bus contenta esse posset.

Tui studiosissimus Johannes Molanus.

Theodoro ab Haer Discipulo dilecto.

Pax Christi.

Suavissime adolescens consilium tuum mihi magnopere probatur. Sane et ego de eadem re da-
turus eram ad te literas si quid tuis de rebus certi agnovissem atque eius rei gratia postularam ut
Hermannus de te percontaretur et ad scribendum incitaret. Linguas spero fore ut possis Tigu- Tiguri
ri satis commode discere, et simul audies eos Hebraeos nostri temporis quorum sermone tibi
usus. Ego certe pro magna DEI bonitate qui te velut ovem desertam placide deduxit,
et mirifice [illegible] ex animo gratias ago. Rochelsingero idem ego suasi ne galli- [illegible]
cis tribus exercitus aestatem domi consumeret, sed apud Helvetios aut Gebennenses in-
choaret studium Hebraicae linguae cum elementis doctrinae coelestis, eum adolescentem valde
cupio tibi coniunctum esse, saltem in eadem schola. Nam ad idem studium aspirat (Ex- [Ex Mscr.
nori) et nosti illud [illegible]. Non de vita loquor sed de cursu studio- a. 12:
rum, in quo et tu illi conferre aliquid posses, et tuas animas mutuas illius robore iuvare- Nr. 46]
tur. Sed haec melius tute dispicies. Videbis autem Evangelij passim omnia impiorum obstacu-
la transcendere, maximam esse copiam sed ubi messis Dominum operarios requirere qui non
sint erubescendi, qui thesaurum pietatis aliqua luce doctrinae decorent, et quasi venditabilio-
rem reddant. Concipe animo quendam generosum, minimeque subventaneum spiritum qui te
dies noctesque exagitet, qui [illegible] soporem ex oculis expellat, qui denique nusquam
te non prius sinat, quam ea fueris mediocri studio consecutus, quibus in palaestra laborantes
Evangelij bona militia milites, et Ecclesiae [illegible] reddas. Senatus Bremensis me
revocat honestissimo stipendio ad Scholae suae gubernationem, sed ego hanc provinciam (tan-
tum ut quidam existimant) Duisburgi semel Christo auspice susceptam, deserere nul-
lo modo possum, dum sibi meam Reipub. operam putet usui esse posse. Commendare
nostros conatus Filio DEI ne neglexeris. Hanc epistolam volo testem tibi esse tum apud
DEUM tum apud homines, quod et ego te ad optima quaeque incitaverim: et tu tam Do-
mi tum Duisburgi inculpate sancteque mecum vixeris. Vale Theodore Frater dilec-
te Dns.

1562 Duisburgi 19 Julij ea hora qua tuas accepi sub noctem iam paras in prox. diē exhor-
tationem, itaque scripsi qua lenissimo stylo ut tempus et tua modestia postulabat. Lite-
ras ad Nicolaum et lib. si potes mitte.

Johannes Molanus

Pax Chri.

[N. 126]

D. Danieli a Buren Consuli
Ciuit. Bremē.

Reuerende D. Consul vir humanissime, ut me sustentat vestra quaedam er-
ga me incredibilis beneuolentia ita mihi molesta est tu demū de vestra voluntate me
Bremensia T. II. p. 579 fieri certiorem cū amissa est omnis libertas deliberandi. Triduo scilicet ante luciniæ fratris
aduentum, quū a ven. Senatu propter restrictā factā missionē flagitaremus. Venerūt a
Principe viri praestantes plenī authoritatis et consilij qui tentarēt conciliationē.
Totum biduū res vltro citroq. magnis studijs agitata est nullo successu. Tertio demū
die nos iussi sumus a supremo Magistratu non agere pertinacius, ne nobis et Scho-
la Principis illustrissimi indignationem conciteremus. Ferremus potius si non aequam
[= Hscr. a. 12: N. 47] quidem, sed quae corrigi non posset, iacerent pacta saltem ad Pascha vsq., deinde ps-
taretur quidquid erat promissum, et boni aliquid pro tantilli temporis incommodita-
te redderetur. Quid faceremus? instante Senatu cuius erat controuersia magis
q. nostra, nos quoq. concessimus aliquid de iure nostro, et ad eam moderationem des-
cendimus, quae facile apud bonos testaretur, neq. praefracto nos aio esse, nec quid-
q. spectare, nisi officia nostrae vocationis. Ergo hac ratione sopita est dissensio et
hunc annum proximū in huius Scholae ministerio collocemus. Nunc
vestrae prudentiae est etiā atq. etiam dispicere quid ex vsu Scholae vestrae sit max-
ime. Nam ego nimis iniurius sim si postulem tam diu in celebri loco Rectio-
ne destitui causa mea: qui nihil supra mediocritatem praestare possū. Expecta-
a vobis opera nostra in annū prox. vocatio est legitima honesta, et mihi (nisi
viribus diffiderem) expetenda, quam vtinam et Dominus suo Spu meo cordi
comprobet, et confirmet, ut alacritate aliqua me incendat ad seruiēdū isti Eccle-
siae quae quasi altera patria, me patria extorrē tam liberali hospitio excepit.
Nihil certe est quod malim q. isthic consenescere inter amicis fidelibus et praestanti-
bus viris, apud quos et quorū maxime beneficio nuper quasi reuixi, et gratias ago
quod a vobis disiunctum tam humaniter tamq. solicite reuocetis. Sed me angit
tam longa expectatio quae vereor ut Scholae vestrae damnosa futura sit. Non
par est meis rebus consuli a vobis cum detrimento Juuentutis, huic malo si quod
inueniri remediū potest, et meam artem qualemcunq. vtilius Scholis vestris seruire
dabo operam et vobis obtemperem in hac vna exceptione. Nisi necessitas inter-
ueniat eiusmodi quae tam apud vos quam apud alios aequos Judices promereat ius-
excusationē. tam ~~expectationem~~. Vale Reuerende D. Consul. cū chara Coniuge et Filio
Daniele Duisburgi 11 Septembris. 1562.

T. D. addictus

Johannes Molanus